

BIBLIOTEKA  
Zakł. Nar. im. Ossolińskich

XVI 3517


MF

53



119







XV 100 3517



*Patris. N. m. 6370. 2. litographo to impedito*

*77  
9*

**CARMEN  
GRATVLATORI  
VM IN INGRESSVM  
PLOCENSEM.**

**REVERENDISSIMO IN  
CHRISTO PATRI DOMINO DOMINO PE-  
TRO DVNINO VOLSCIO DEI GRATIA EPI-  
scopo Plocensi: Scriptum à Ioachimo  
Volscio Bilschio eiusdem Reveren-  
dissimi familiari.**



*m. 73. Bzysko wlozysone w N. m. 6425*



**CRACCOVIÆ**  
In Officina Nicolai Scharffenberger, Anno  
Domini, 1 5 7 8.



IN CYCNUM.



**F**luminis Istulei muscoso rector ab antro  
Prodierat, cinctus flore virente caput,  
Tendentemque videns ad Plocia littora cycnum,  
Difficilis formę munere captus, ait:  
Vnde mihi hic nitidus, quæso, quo pulcrior alter  
Non fuit his stagnis, nunc datur, albus elor.  
Multos nostra quidem candenti corpore cycnos,  
Vnum tam niueum, Parrhasis ora, tulit.  
Non mihi se ergo, mille licet Mæander olores  
Pinguis alat, nec se conferat, Eridanus.



CARMEN GRATV-  
LATORIVM IN INGRES-  
SVM PLOCENSEM.

REVERENDISSIMO IN CHRIS-  
TO PATRI DOMINO D. PETRO DVNINO VOL-  
scio Dei gratia Episcopo Plocensi, à Ioachi-  
mo Volscio Bilsco eiusdem Reueren-  
dissimi familiari scriptum.



Rgo ne Plociacam, pulcerrime, mis-  
sus ad urbem  
Ibis Duninę gloria, Volsce, domus.  
De tanto patrum numero, catuque  
piorum

Electus, quotquot Sarmatis ora fouet  
Qui Plociam ritu, Præsul, modereris auito,  
Non vlli vitę religionē minor  
Ibis, celsa tibi video pallatia surgunt,  
Aëriumque caput grandia templa mouent,  
Marmoreumque nouis, Pater. Istula, floribus antrum  
Ornat & aduentum præparat Amne tuum,  
Sertaque Nereides florentia pollice nectunt,  
Et sua Pontifici Naruia dona parat:  
Perfusas auro vestes, gemmisque nitentem  
Plociace, mitram nobile, matris, opus.



CARMEN GRATVLATORIVM

Plocia nempe suum nisi iam te sola videbit  
 Vnius ac tantum solus alumnus eris.  
 Innumeros homines moestos mærore relinques,  
 Fidaque sollicitis anchora raptus eris.  
 Multi te doctum, multi pietate decorum,  
 Flebunt, insignem consilioque, virum,  
 Flebit cana Fides, Astræaque vecta per auras  
 Mæsta, suas madido polluet imbres genas.  
 Et meus hic, dicet, miseram me linquit alumnus  
 Dii faciant, illi mollis ut aura sonet  
 Hoc dicent omnes alij, votisque lacessent,  
 Ut tibi dent faciles mollia fata vias:  
 Omnia nam tecum vultu risere sereno  
 Purpurei circum Regis amœna latus,  
 Omnisque ardebas, & quoquo es lumine versus.  
 Omnibus ardebat lucida flamma locis:  
 Utque solet Phæbo roseum splendescere cælum,  
 Fulgida sic vultu splenduit aula tuo,  
 Quæ rursus densa caligine mæsta tegetur:  
 Ceu, cum continuis, est niger æther, aquis.  
 Cum tamen id fati sic visum est, lintea quorum  
 Flamme veliuolum vela per equos eunt.  
 Illis tot maria & terras autoribus, illis  
 Intra sti Ducibus regna Lauina puer,  
 Et centum Hispanas peragra sti serior vrbes,  
 Regis inauratos iussus adire domos.



IN INGRESSVM PLOCENSEM.

Gallia te triplex, Germania nouerat omnis,  
 Inuia nec gelido terra sub axe fuit.  
 In patriam lætus venisti, fixaque portu  
 Sic tua tranquillo lassæ carina stetit.  
 Rexquæ tibi dignos mox est largitus honores  
 Candida qui Lachiæ lilia terna tulit.  
 Reginæ volucrum custos, Regniquæ Senator  
 Factus es, officio digne reperte tuo.  
 Auxit nec minuit primum, mauortius armis  
 Rex, etiam titulum maxime Volsce tuum,  
 Pontificemquæ suum tua te Premissia fecit.  
 Plocia nunc templis quem vocat alta suis,  
 I foelix pietate Deum, Pater, i pede fausto,  
 Quo tua te pietas, & tuæ facta ferunt,  
 Virtutumquæ tibi non desint digna tuarum  
 Præmia, & æternus nomine crescat honos.  
 I, cælo zephyros audis spirare secundos,  
 Iamque procul ventis æquora strata silent,  
 Naiades & Dryades ludunt in littore Nymphæ,  
 Musarumquæ chori carmina blanda canunt,  
 Singula lætantur, lætatur maxima tellus,  
 Lætitia syluæ, flumina, stagna sonant.  
 Dicite, Io læti Plocij, pia thura sacerdos  
 Fer pia thura, tuam sume Poeta lyram,  
 Vos Plocij soli, solis ea missa potestas,  
 Accipietis, multi quem voluere virum.



CARMEN GRATVLATORIVM

Heu mihi, quam claro spoliastis lumine Regem,  
 Regia quam magnum perdidit aula decus.  
 Quod licuit nulli potuisti Plocia felix,  
 O quater hoc felix Plocia terque viro.  
 Fœlices Diuum vos hoc Regnante ministri,  
 Fœlix ò magnis ordo sacrate Dñs.  
 Vester honos vestri surrexit gloria, vestri  
 Præsul hic est Patres luxque decusque chori;  
 Fœlices Musæ, nemora auia linquite Musæ  
 Mellifluus vitreis quæ rigat amnis aquis.  
 Linquite Parnassum, riguoque Helicone relicto  
 In niueam sacri Præsulis ite domum:  
 Vester enim cultor nusquam præstantior altero  
 Nominis, aut vestri maior amicus erit.  
 Fœlices animæ, defunctaque corpora vitæ,  
 Non eritis stygio, præda cruenta, Ioui.  
 Vester pro vobis summus pietate sacerdos  
 Curam nam vigili sæpè labore geret,  
 Suffectusque gregi ceu verus vertere pastor  
 Infirmo pecori plurima damna sciet,  
 Non metuent illo pecudes pascente leonem,  
 Dama canem fugiet, nec magis agna lupum.  
 Aurea Plocenses Saturni tempora vobis  
 Regis eunt, ferri sæcula lapsa ruunt.  
 Iamquæ idèo vobis tellus iam ridet & æther,  
 Fertquæ rosas æther, lilia fundit humus,



IN INGRESSVM PLOCENSEM.

Lætitia saliant undæ: syluæque susurrant,  
Mella feret quercus, flumina lacte fluent.  
Viuat Nestoreos noster modo Præsul in annos,  
Inqué domos superas non nisi serus eat.  
Atqué illi niueam puro de stamine vitam  
Nec longum multis Parca diebus opus.  
Nec sua lina nigris corrumpat candida linis,  
Alba sed omnis eat vellere texta dies.


F I N I S.













1390



6370

2



